

Francè Prešeren:

VITA CARCER — ŽIVLJENJE JEČA

Vita est carcer inestque tempus atrox  
Tortor, cura comes vicens perennis,  
Angor atque dolor fidele munus,  
Poenitentia sempiterna custos.

Ne mors grata nimis diu moréris:  
Tu clavis, ianua ac via es beata,  
Illuc nos agis e loco doloris,  
Cuncta vincula ubi ruit putredo;

Vis non quidquam ubi pollet insequentum,  
Noxae nos ubi non prement iniquae,  
Omni pondere ubi iam homo levatur;

Illuc sub tumulum in torum nigrantem,  
In quo, qui cubuit semel, quiescit,  
Ut nullo strepitu ille suscitetur.

*Ljubljana.*

Vertit: *S. Kopriva.*

PUELLA AD ROSAM — DEVOJKA RUŽICI  
(Carmen popolare serb.)

Ah, mea tu frigens aqua limpida et, ah, orsa rubra,  
Quid tam mature splendida tu genita es?  
Non habeo, cui te carpam: matercula non est  
Cara mihi miserae neque sororem habeo;  
Si, rosa, te sociae generis decerpere vellem,  
Haec mea iam dudum iuncta viro soror est;  
Nec, rosa, te socio generis decerpere possem,  
Nam frater meus hic militiam subiit;  
Si te dilecto legerem, procul est hic amatus  
Ultra tres montes et quoque tres fluvios.

*Ljubljana.*

Vertit: *S. Kopriva.*